



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Cæremoniale FF. Minorum Strictioris Observantiæ Almæ  
Provinciæ Saxonæ S. Crucis**

**Sächsische Franziskanerprovinz vom Heiligen Kreuz**

**Nevhsii, 1706**

**VD18 10502327**

Titulus III. De Assistentia in Missa solemni.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-71672](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-71672)

## TITULUS III.

*De Assistente in Missa solemni.*

1. **A**ssistens apud nos non solet dari, nisi Celebrantibus primitias : foret tamen conveniens, ut Reverendissimo Patri Commissario Generali A. R. P. Ministro Provinciali aliisque personis in dignitate constitutis, dum in nostris Conventibus Missam solemnem celebrant, in magnis festivitibus daretur Assistens. Qui dum itur ad altare pluviali indutus, à dextris Diaconi immediatè cum Diacono à sinistris illius præcedit Celebrantem.

2. Cum pervenerint ante infimum altaris gradum, celebraturus habens à dextris Presbyterum Assistentem, & à sinistris Diaconum, & apud eum modicum retro Subdiaconum ita ut Subdiaconus stet à sinistris Diaconi, & facta ab omnibus congrua reverentia, facit cum eis Confessionem. Quoniam autem in talibus festivitibus ordinariè exponendum erit Venerabile Sacramentum : omnes genuflectunt in primo altaris gradu ; & Diaconus à genuflexione surgens mox accedit ad dextram celebrantis, ubi offert thus, & omnia facit, ut in expositione Sacramenti dictum est : data benedictione & facta iterum incensatione, cum Sacerdote descendit ante infimum gradum, & facta cum Sacerdote genuflexione, se retrahit ad illius sinistram absque nova genuflexione ibidem, interim cum Sacerdote surgente, omnes à genuflexione surgunt & fit Confessio.

3. Peracta Confessione simul ascendunt ad altare & dicta oratione ORAMUS TE DOMINE, Diaconus redit ad dexteram Celebrantis, omnia facturus ut in aliis Missis. Ad incensationem Assistens amovet librum ab altari retrahendo se cum eo à parte Epistolæ extra altare, & post illius lateris incensationem iterum reponit. Facta incensatione stat medius, inter Diaconum & Celebrantem modicum retro utrumque, & Celebranti monstrat Introitum legendum, deinde cum aliis

Mini-

Ministris respondet ad Kirieleison, nec ab illo latere discedit, sed cum Celebrans ad medium altaris cum aliis accedit, ipse stat in cornu Epistolæ ad librum, donec à Celebrante, submissa voce cum Ministris dicatur totus Hymnus: GLORIA IN EXCELSIS. Si dicto Hymno Celebrans sit sessurus, Assistens sedebit à dextris Celebrantis, Diaconus à sinistris illius, Subdiaconus à sinistris Diaconi. Postquam reversi ad altare & dicto DOMINUS VOBISCUM, ostendet Celebranti stans à dextris ejus, orationem vel orationes dicendas, &c.

4. Dum cantatur Epistola, Diaconus remanet in loco suo, eaque finita Assistens paululum retrocedit, ut Subdiacono manum Celebrantis osculato detur locus. Tum Assistens, accepto Missali cum cussino illud portat ad cornu Evangelii, illius initium Celebranti ostendens, & cum opus est folia vertens & respondens, Diaconus interim & Subdiaconus stant more solito.

5. Lecto Evangelio, & posito Missali prope medium altaris, expectat à sinistris Celebrantis facie ad altare conversa, & accedente Thuriferario, recedit ad dexteram Celebrantis: ibidemque ministrata navicula per Assistentem, Sacerdos imponit incensum, tum Acolythus recepta navicula de manu Assistentis recedit ab altari, expectaturus donec cantandum est Evangelium. Cum Diaconus illud incipit, retrahente se Celebrante ad cornu Epistolæ, ipse etiam Assistens se retrahit & vertit ad Diaconum, ita ut stet neque omnino à sinistris Celebrantis, neque omnino post eum. Et dum Subdiaconus cantato Evangelio librum Celebranti osculandum porrigit, Assistens ejus initium manu aut potius bacillo, quo convenienter utitur, ostendit, & vadit ad cornu Evangelii.

6. Ministris accedentibus, ut cum Celebrante dicant Symbolum, idem est ad SANCTUS & AGNUS DEI, dat locum Subdiacono accedenti ad sinistram Celebrantis. Alioquin postquam cantatum est Evangelium usque ad AGNUS DEI inclusivè, Assistens semper stat ad librum, quem sub 2da incensatione ad Offertorium iterum removet, retrahendo se extra cornu Evangelii, & illo latere incensato iterum reponit: idque semper notandum, ut dum Celebrans salutaturus populum,

lum, quia supponitur Sacramentum expositum, paululum recedendum, ut Celebranti detur locus.

7. Finita per Diaconum in choro incensatione, ab eodem Assistens, stans ad latus Evangelii extra altare, & paululum ad Diaconum conversus duplici ductu incensatur ante Subdiaconum.

8. *Cum Celebrans dixerit HÆC COMMIXTIO, &c. dicat AGNUS DEI, &c. cum Diacono & Assistente, quibus dictis Præbyter assistens accedit ad dextrum latus Celebrantis, Diaconus verò ad sinistrum, ubi supplet ad librum loco Assistantis, ipse verò Assistens dicta per Celebrantem oratione DOMINE JESU CHRISTE QUI DIXISTI, &c. genuflectit & statim surgit, osculatur altare simul cum Celebrante, à quo dicente ei PAX TECUM, accipit pacem, cui ipse respondet ET CUM SPIRITU TUO, &c. ut suo loco dictum. Et iterum ante Sacramentum genuflectens ac statim surgens, recedit & vadit ad Diaconum in medio ante altare stantem cui dat pacem, & hic Subdiacono: Assistens vero in choro more solito pacem distribuit: interim Diaconus loco assistantis supplet ad librum donec ipse redeat ab osculo pacis.*

9. Si facienda sit Communio Assistens retrahit se ad cornu Evangelii, & ibi in infimo gradu, vel in plano, vel prout melius potuerit, ne Communicantes impediatur genuflexus manet, donec omnes fuerint communicati.

10. Facta purificatione, & delato per Diaconum libro ad cornu Epistolæ, Assistens accedit ad illud cornu, monstrans Celebranti, ut alias, quæ cantanda vel legenda sunt. Et dicto per Diaconum ITE MISSA EST, transit ad cornu Evangelii, &c. Et ad ET VERBUM CARO FACTUM EST, cum Celebrante genuflectit, quod etiam semper facit, sicut alii Ministri.

11. Denique omnibus finitis: redit ad dexteram Celebrantis in cornu Epistolæ & cum eo descendit in planum, & cum aliis ordine quo venit, ad Sacristiam revertitur.